



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 2. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

fine pecuniam offerre, vel cibo & potu dementare, ut carcerem aperiant, & elabi sinant, nullo modo licitum est, quia directè in malum finem tendit. *Az. tit. 13. c. 24. Filliur. Tr. 40. c. 9. q. 9.*

Secundo, cum qui damnatus est ad perpetuam carcerem (qua pœna Ecclesiasticus Magistratus prælaico uti solet, quemadmodum *Menochius l. 1. q. 89. & Piasec. notat in Par. 2. c. 4. nu. 89.*) aperire illum quocunque modo, & fugere posse, similiter eum, qui ad trimes damnatus est, quia hæc pœna durissima omnibus, clericis verò maxime ignominiosa est. At quibus exigui temporis carcer iniungitur, vel qui ad servendum infirmis ad tempus ablegantur, de patientia, & merito cumulando potius, quam de fuga solliciti esse debent, omnibus verò curandum, & cavendum, ne ex facto suo scandalum aliquod vel gravis in rep. perturbatio oriatur. *V. s. Tho. q. 69. art. 4. Sanchez l. 6. Consil. c. 4. Dub. 18. Lugo lo. cit. Filliur. lo. cit. n. 276.*

De carcerum custodibus, seu Commentariensisibus *V. Damhaud, Pract. crim. c. 17. & 18.*

§. 2.

Satisfit Dubiis.

DVb. 1. An reus in conscientia obligetur per sententiam iudicis iniquam quidem, sed secundum ordinem iuris laram.

R. Non obligari, quia sententiæ finis esse debet, vel unicuique tribuatur, quod suum est, Hoc autem minime

fit per sententiam iniquam, sed contrarium potius. Ac proinde condemnatus ad certam pecuniæ summam nihil in conscientia dare tenetur, nec cedere bonis, quorum privatio in sententia decernitur. Illi quoque quibus sententiæ iniquitas nota est, nihil ex eiusmodi bonis capere possunt.

Cæterum iniqua sententia censetur, quæ vel falsa præsumptione, vel falsis probationibus nititur. Excipiunt aliqui beneficia, & officia, quorum aliquod si ceptum reo per iniquam sententiam tibi collatum fuerit, retinere potes, quia iudex, & magistratus censetur absolute auferre illud, condemnato propter multa incommoda, quæ ex contratio sequuntur, ut latius explicat *Lesb. c. 31. Dub. 4. allegans Innoc. in c. Quia plerique. De immun. Eccles. Panorm. in c. 1. de concess. prab. & Gloss. ibid.*

Dub. 2. An reus defensionibus suis renunciare queat.

Communis DD sensus est, imo totius mundi, teste *Iulio Claro q. 48. num. 13* reo etiam delictum confessio defensionem concedendam esse, aded ut nulli magistratui contrarium liceat præsertim in criminalibus, Nam reus quantumlibet confessus sæpè pro innocentia sua poterit adferre, quæ præsumunt, quemadmodum pluribus declarat *Clarus l. cit.* Imo dicere Iurisperiti solent, ne diabolo quidem, si in iudicio steter, denegari posse defensionem. *Davalos in Directorio Par. 2. c. 19. n. 13.*

Difficulus est, An defensioni sibi debitæ reus possit renunciare

in criminalibus? Non posse quando
revera iniuriola est condemnatio, affir-
mat cum aliis multis *Azor. III. l. 13. c.*
25. d. 2. quia se suaque tueri iuris natura-
lis est; quod agnoscunt Theologi quo-
que docentes hominem non esse Do-
minum vitæ suæ, ne peccare qui pro
defensione vitæ, aut bonorum vel ho-
noris sit mutilat, vel occidit in vasorem,
quando alius modus defensionis deest.
Clem. Pastoralis c. ceterum de re iudi-
cata c. inter fecisti. de hon. ic. c. dilecto
de sent. excom. in 6. & ibi Barbosa
verum ista non convincunt, ac pro-
inde.

R. Reus defensionis debitæ renun-
ciare potest, etiam in causa criminali,
quando iustam ac rationabilem cau-
sam habet, qualis est fuga gravium tor-
mentorum, ac pœnarum. Ita *Clarus l.*
tit. n. 16. cui plures Theologi subscri-
bunt, adduntque insuper reo in mani-
bus iudicum constructo, ad evitanda
maiora incommoda posse sibi impo-
nere falsum crimen adhibita conveni-
entiamphibologia, quæ tollat menda-
cii culpam. Ratio, licet in aliquo sensu
iuris naturalis sit vitam suam tueri, ad
id tamen nemo obligatur in quolibet
eventu seu circumstantia, sed tunc so-
lum, cum commodè, & decore po-
teat.

Hinc primo non prohibemur adire
magna pericula, sive terra, sive mari
propter acquisitionem alicuius boni,
vel aversionem mali.

Secundo, reus damnatus ut fame pe-
reat, non tenetur cibum compa-
rare, aut sumere. Tertio ægrotus

qui conservare vitam pretiosis, & pe-
regris pharmacis posset, non tenetur
ea inquirere, & coemere.

Quarto in valum omilla resistentia,
pati mortem potius, quam inferre pos-
se. *Comitol. l. 4. q. 10. cum aliis multis do-*
cet.

Quinto reus occultus ex amore
iustitiæ seipsum offerre potest iudici, ut
debitas pœnas luat. Denique Carthu-
siani etiam in certo mortis periculo à
carnibus abstinent, quamvis illarum
usu vitam conservare possent. *Azor. I. d.*
5. c. 6. q. 7. Idem ergo reo permitten-
dum, si utinolit defensione sua ad vi-
tam conservandam necessaria. Nec
obstat famæ iactura. Hæc enim non
no vo modo licitè prodigitur. *Leß. 2. 14.*
d. II. Eill. II. q. 8. ubi addit, non tan-
tum licere, sed aliquando maximæ vir-
tutis opus esse, vitam, & famam pro
proximi salute exponere secundum il-
lud *Christi Ioan. c. 5.* Maiorem charita-
tem nemo habet, quam ut animam ponat
pro amicis suis. *Clarus §. finali q.*
49. Layman cum aliis ab ipso citatis l. 3.
II. 6. c. 5. §. un. n. 30.

Dub. 3. A reus, qui sibi ipsi iniu-
riam fecit, imponendo crimen falsum,
revocate teneatur? Nascitur dubitatio
hæc ex præcedenti, & locum non ha-
bet in reis, qui tormentorum acerbitate
fracti nihil non fatentur contra
seipos, ut à tortura liberentur. Equi-
dem non teneri ad revocandum,
quando novam torturam metuit reus,
gravissimi auctores tradunt citati apud
Tanneram disput. 4. q. 5. num. 100. Nec
confessarius eiusmodi reos urgere
debet

debet, ut in extremo vitæ puncto saltem innocentiam suam aperiant, & defendant. Nam secundum huiusævi præxin, eiusmodi defensio, seu revocatio nihil proderit. Vel enim non acceptatur, præsumendo perturbatæ mentis impetum esse, vel si acceptetur nova tortura examinabitur an firma sit. Sicut ergo gravium tormentorum metu liberat ab obligatione revocandi criminis ante damnationem, ita hoc in casu etiam post damnationem. Addit *Lessius c. 11. n. 48.* non teneri ad revocationem criminis confessi, quamvis iuramento vel periurio confirmasset illud. Hoc enim non revocando apud Iudicem, sed penitendo apud Deum corrigi potest. Atque in hoc modo procedendi cum primis attendendum, & curandum erit, ut nulli iniuria, vel damnum inferatur. Non enim ut suæ famæ, sic alienæ quisquam dominus est. Unde, sequitur, si quis vi tormentorum vel alia quacunque ex causa proximo suo falsum crimen imposuisset, ad revocandum illud teneri etiam cum detrimento sui honoris & nonnunquam vitæ | generaliter *S. illud. ff. de calum. c. si quis in artio 17. q. 4. c. fin. de iure iur. Sylv. v. Testis. 10. & alii DD. communiter.*

Dub. 4. An sacramentaliter absolvi queat, qui legitimè interrogatus, crimen à se commissum Iudici negat?

R. *Bannez. ad q. 69. art. 2.* quamdiu in iudicio, & sub potestate Iudicis est, absolvi non posse, nisi prius veritatem dixerit. Ratio, quia manet in peccato quamdiu interrogatur, & non responderet: sed quamdiu non fertur sententia

absolutionis, interrogatur virtualiter, & est tempus respondendi, ergo est in peccato mortali, quamdiu non responderet. Notandum tamen, si propter confessionem factam subeunda illi esset nova pœna periurii scilicet, non teneretur fateri, quia illud periurii peccatum ignotum, adeoque non subiectum iudicio est. Eadem ferè apud *Lopez & repeties* in annotat. ad *c. 130. Bern. Diaz.*

Unde sequitur, si reus absolutus fuerit, propter falsam veritatis negationem, non teneri sponte sua ad iudicem redire, ut citatus *Bannez.* fateretur, quoniam, ut sic non peccavit, nisi contra veracitatem, & iustitiam legalem, si tamen alieni tertio damnum procreasset, de compensatione laborandum erit. Nam testis etiam, qui tacite in iustitia sua alicui damnosus fuit, ad restitutionem obligatur: excepto casu quando non nisi eum magno famæ aut vitæ suæ periculo testificari de proximo potest. *az. 11. l. 13. c. 27. Dub. 6.*

Dub. 5. An reus falso negans delictum propter quod ad multam pecuniariam damnaretur, obnoxius sit restitutioni?

R. non esse, quia in tali eventu lædit iustitiam legalem, & vindicativam, non vero commutativam, cuius solius violatio ad restitutionem obligat. Ita *Vasquez. Sanchez. Malderus & alii à Diana citati.* Quam sententiam *Bannez. l. cit. art. 3.* suaviorem, & clementiorem vocat, addens humano more non esse factibile, ut aliquis, qui evaserit sententiam condemnationis, velit bona sua fisco inferre: adeoque non credendum, quod

lex velit illum obligare ante condemnationem iudicis.

Simili modo ad aliam quaestionem respondebis, an damnatus ad minorem iusto poenam, in conscientia subire debeat illam, quam verè meretur. Non enim tenetur ante sententiam, & condemnationem iudicis, quemadmodum in *Prologom.* § 8. copiose explicavimus. *V. Suar. de leg. l. 5. c. 7. Less. c. 29. Dub. 8.*

Dub. 6. An omne mendacium in iudicio prolatum peccatum mortale sit?

Esse peccatum mortale, quomodo-cunque alicuius in iudicio mentiatur, non secus, ac si mentiatur in confessione sacramentali docuit *Casus. ad q. 69. art. 1. ad 3.* quia utrobique iniuria fit vel iudici, vel sacramento, quod sine gravi culpa esse non potest. Idem sentit *Sily n. 3. Armilla & alii plures apud Barb. inc. super eo. de Vsuris.* Sed levi fundamento nituntur, & nihil convincunt. Igitur.

R. Non omne mendacium in iudicio dictum lethalem culpam esse sed aliquando venialem tantum. Ratio Mendacium in iudicio prolatum immediate est contra iustitiam, & religionem. Sed in peccatis contra iustitiam, & religionem potest inveniri materia levis, ut patet, si quis furetur in loco sacro rem parvi momenti, aut si consecrando omittat particulam *Enim*, ergo ex eo, quod in iudicio mendacium dicatur, non rectè concluditur, peccatum mortale esse. *Navar. in c. Inter verba. Coroll. 64. Arragon. in q. 69.*

Less. c. 11. num. 42. Sanch. l. 6. Confil. c. 3. d. 33. Az. Tom. 1. l. 5. c. 28. §. Anim. advertendum. & 11. l. 13. c. 1.

Alia ratio est mendacii cum iuramento. In hoc enim quia DEUS, in testem vocatur, non potest transgressio illius levis esse, quemadmodum Theologi communiter docent. Ita fere *Bañez* qui pro maiori declaratione annotat, materiae gravitatem & levitatem ex duplici capite aestimari posse, *Primo* & per se ex parte Iuris, quod habet Iudex ad interrogandum. Quod si igitur ratione illius iuris sub mortali peccato tenetur ad interrogandum, sub eodem peccato mortali reus tenebitur ad respondendum. Hinc deinde infert, religiosum teneri sub mortali peccato respondere visitatori interroganti de observatione caerimoniarum & similibus, quia visitator sub mortali peccato tenetur interrogare de illis, etiam si quilibet religiosus in particulari non peccet venialiter frangendo silentium. Ex alio capite considerari potest gravitas, & levitas mendacii in iudicio, nimirum ex circumstantia iniuriae, & damni, quod inferretur accusatori, vel testibus, ubi aliquando magna culpa, aliquando parva, & similiter damnum inde proveniens esse poterit. *Covarr. l. 1. Variar. c. 1. num. 2. Sanchez. l. 6. Confil. c. 3. Dub. 33.*

Dub. 7. An reus actori, vel iudici petenti edere instrumenta sua debeat?

R. 1. Generaliter, & regulariter loquendo reus non tenetur documenta & in

& instrumenta sua, ad litem, de qua agitur, pertinentia publicare, vel exhibere actori, ne contra seipsum illa arma suppeditet: sed actori incumbit providere sibi de probationibus, quibus causam suam stabiliat. *c. Ex epistola. de probat ubi Barb. multos DD. allegat, quibus annumerandus est Gail l. 1. obs. 106.*

Non licet tamen actori probationes, & documenta parata subtrahere, quamvis non ideo causam perditurus sit. *c. Pervenit. de testib. cogend.* Absque iniuria enim non fit, & reus extraordinaria pœna plectendus erit, ut *Menoch. tradit casu 309.* excipiens tamen instrumenta invalida, quorum subtractio nullum actori nocumentum adfert.

R. 2. Reus instrumenta sua edere debet petente procuratore fisci, in causis exemptionum, & contributionum Imperii: ad quem effectum solent in Camera Spirensi compulsoriales dari contra dispositionem Iuris communis. *l. Qui accusare. l. in fraudem §. Ex his bonis. ff. de iure fisci.* Idque speciali favore fisci, & reip. Nec procedit in causis criminalibus *lul. Clarus. q. 27.* Idem Iuris Ecclesia habet teste *Barb. inc. Ex epistola. de prob.*

R. 3. Si actor documenta, quæ habuerat, absque culpa sua amiserit, puta, furto, vel incendio, poterit à Iudice postulare, & hic à reo, ut instrumenta sua edat. *Decius in c. cit. de probat.* Ad quod nemo eum obligare potest, si grave damnum inde metuendum sit. E converso, si utilitatem ex traditione sperare licet,

sponte sua exhibere non gravabitur.

Dub. 8. An & quando reus torturæ subiici queat?

R. *Ex lib. 48. Digest. Tit. 18.* colligimus sequentia puncta.

Primo, constare prius de delicto oportet, quam reus quæstioni subiiciatur.

Secundo, Considerandum Iudici est, an tale sit delictum, cuius nomine aliquis torqueri possit.

Tertio, Considerandum, an delictum aliter probari possit, quam per torturam.

Quarto, Torturam non nisi subsidiario loco adhibendam.

Quinto, Eam ob causam in clanculariis delictis facilius adhiberi.

Denique non in quibuslibet criminibus, sed maioribus tantum, cuiusmodi sunt, quæ pœnam corporalem, vel tritremium merentur, non verò illis, quæ exilium, aut pœnam pecuniariam, ne maior sit torturæ, quam ipsius criminis pœna. *V. Clarus q. 64. Moscon. l. 2. Par. 1. c. 5. Dambraud. c. 35. Tholos. l. 48. c. 12. VVesenb. l. 48. ff. Tit. 18. quinum. 8.* monet, his deficientibus ad quæstionem non posse Iudicem procedere: & si fecerit, capitali pœna plectendum ex constitutionibus *l. Decuriones 16. C. eod.* quas tamen non extendendas extra casum, de quo loquuntur, existimat: cum videlicet in iniuriam exitumque eius qui patitur, quæstio tentatur, ut eunctus tormentis deficiat: Alias extraordinariæ pœnæ locum esse.

Dub. 9. Quenam indicia, & probationes ad torturam sufficiant?

R. Hic

R. Hic magna, ac propè divina prudentia iudici opusest, ne in dextram, vel sinistram plus iusto declinet. Nemo enim non videt, quælibet indicia non sufficere, sed quasi evidentia requiri. Talia censentur 1. testis omni exceptione maior. 2. confessio rei extra iudicium. 3. fama publica aliis quibusdam adminiculis iussa: soli minime fidendum. 4. Minæ factæ ab eo, qui exequi solet, & deprehenditur non multò post effectus illarum. 5. Res aliqua, vel instrumentum rei in loco criminis perpetrati: vestigia item in terra humida, quæ ipsius pedibus respondent: nisi fortiore aliquo documento hoc eliserit. 6. Si reus qui socios habuit, eosdem nominarit, modo alia indicia concurrant. 7. Mandatarii confessio, quod Sempronius reus sibi facinus mandarit, cum aliis adminiculis. 8. Fuga, non quælibet, sed illius, qui in libertate sua constitutus, & à iudice citatus non compareret: item qui in carceribus vinculorum & carceris effractione erupit. 9. Variatio, & inconstantia responsionum, mendaciis permixta. 10. titulatio linguæ & animi trepidatio concurrentibus aliis signis. 11. taciturnitas, ut si alias suspectus literis de periculo suo receptis nihil respondeat, nihil excuset, aut protestetur. 12. Inimicitia capitalis, v. g. cum occiso, si alia signa concurrant. 13. pactum, seu transactio, qua pretio oblato, aliisve modis illius, quem offendit, vel illius heredem benevolentiam capteret. 14. si in domo, homicidii, vel adulterii

commissi habitet Caius, homo alioqui audax, & ad eiusmodi facinora proclivis, modò alia non desint signa. 15. conversatio cum malis, quibus nulla turpitudine magna videtur. 16. si, cuius non valdè interest, ultro & instanter urgeat, ut de auctore criminis inquiratur. 17. si quis domo recipiat, & foveat latrones, aut raptos, modò non sint consanguinei, vel affines. 18. si quis criminis reum abducat, ne deprehendatur. 19. si quis patratum criminis conscius non manifestet illud: nec cum posset, impedivit, ne fieret. *Plura v. apud Vvesenbec. l. 48. ff. Tur. 18. Zangerum in Tract. de Quæstionib. c. 2. Melonium in Thesaur. iuris feud. Tit. 47. n. 58. & sequ.*

Dub. 10. An torturam reiterate aliquando liceat?

R. 1. Reum evidentioribus argumentis gravatum, & quasi committum revocari ad quæstionem posse, si in tormenta animum, corpusque induravit. *l. unius §. 1. ff. de quæstion.* Vnde DD. colligunt, semel tortum, nisi nova, & fortiora indicia offerantur, non esse denuò cruciandum, sed ab instantia iudicii absolvendum, suspensa tamen, non extincta sententia definitiva. Contrarium, si quis iudicium fecerit, de syndicato tenebitur, hoc est, causam, & rationem de culpa, & fraude dicere. Olim namque functi officio iudices, in eadem provincia, vel civitate, cui præfuerant, 50. dies commorari debebant, ut de culpa, aut fraude, quam commisissent, convenirentur, quod vulgò subire syndicatum

reum dicitur. l. 1. C. ut om. Iudices tam civiles quam milites. Ordinat. Crimen, Caroli V. art. 57. Melonius l. cit. n. 61.

R. 2. Reum iterato torqueri posse primo propter nova iudicia, & praeterita fortiora prioribus. Secundo propter inconstantiam, si confessus semel in tortura, extra illam, cum ratificatio petitur, negaverit. Tertio in atrocissimis sceleribus, quando malitiose assumpta contumacia apparet: ubi ad necitiam quoque torturam procedere licebit. Nam quia improbilissimi homines, nec propriae, nec communis ac publicae salutis curam ullam habent, nulla commiseratione digni videntur. Quamobrem Decianus l. 9. c. 29. latrones facilius rapi ad torturam, eamque iteratam pronunciat. V. Tholos. l. 48. c. 12. num. 25. Menochium Casu 272 l. 1. c. 29. d. 17. Damhaud. c. 38. Azor III. l. 13. c. 26. Lugo Disp. 37. Sect. 3.

Dub. 11. An sufficienter convictus testibus, torqueri nihilominus possit ad eliciendam propriam confessionem?

Covarr. cum alibi, tum maxime in l. pract. Q. 6. c. 23. n. 5. licet immanitatem tortorum reprehendat, approbare tamen videtur quorundam iudicum consuetudinem, qui licet crimen satis probatum sit, tortura utuntur, ut tandem reus ipse fateatur delictum, sitque vere, ac plene convictus, adeoque ab appellatione depulsus. Quae fuerit etiam Baldi opinio in l. observare n. 9. C. Quorum appellat. non recip. ubi dicitur, negandam non esse appellationem illi,

qui convictus testibus formidinet tormentorum territus crimen fuerit confessus. Verum his non obstantibus.

R. Reum testibus sufficienter convictum non esse torquendum. Ita communior opinio fert multis legibus fulsa, l. Divus Pius. l. Edictum. ff. de quaestione. Illi qui 5. q. 5. Gios. in sum. 15. q. 6. Ratio est, quia tortura pro subsidio adhibetur, cum aliae probationes desunt, ut passim DD. fatentur citati a Covarr. l. cit. qui propterea monet Iudices, ut cautè utantur tormentis, quia plerumque multa mala ex illis consurgunt, & saepissime torquetur innocens, ut apparet nocens, quemadmodum S. Aug. pluribus declarat l. 19. de Civ. c. 6. & ex illo alisque Auctor cautionis criminis Dub. 27. & 39. Quod verò Lud. Vives apud August. lo. cit. inventum torturae dicit alienum esse à Christiana pietate, de abusu intelligendum est: alias nec carceres diuturni, nec patibula, & rotæ à Christianis unquam adhibendæ essent. Maranta Par. 6. §. de quaestione. n. 11.

Excipiunt aliqui atrociora crimina, & casum, quo manifestè apparetur induratio, & contumacia rei eo fine suscepta, ut iudicis intentio, & iustitiae processus retrahatur per appellationem. V. plura ap. Covarr. lo. cit. & Damhaud. in Pract. c. 38. & sequ. Melon. lo. cit. num. 77. Everh. Consil. 2. Volum. 1.

Dub. 12. Caius postquam legitimè convictus est, etiam in tortura negat crimen, quid facto opus?

P

R. Ali-

R. Aliqui centent absolvendum esse, eo quod per torturam probationes omnes extinctæ sint, ut cum *Glo. notat. Al. vii.* dicens hanc esse communem opinionem. l. *Edictum. ff. de quæstion.* Facit enim necessitas fidem, quæ tam à corporibus, tum ab animis nascitur. Nam & verberibus torti, & igne fatigati quæ dicunt, videtur ipsa veritas dicere, & quæ à perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem, & fidem, ut *Cicero in Topicis* scribit, cuius meminit *Glo. sam. di. lege. Edictum.* Idem multis confirmat *Langerus Tract. de quæstion. c. 7.* addens iudici imputandum, si quid incommodi nascatur. Cum enim sine tormentis condemnare reum posset, sibi ipsi remoram iniecit nova torturæ periclitatione.

Verum non esse prædictam opinionem communem ex aliis DD. liquet apud *Covarr. l. cit.* qui expresse tradunt convictum virgenibus indiciis aut legitimis probationibus posse condemnari ad mortem, & pœnam ordinariam, quamvis extra vel intra tormenta neget se crimen commisisse, de quo convictus est. Cum enim absque tortura inflicta propter allatas probationes condemnari possit, ut omnes fatentur, nihil causæ est, cur non possit condemnari post torturam. Præsumitur enim obfirmasse animum, & indurasse corpus, ut resistat iudici, quo factò præter iniuriam ac præiudicium fori publici, turpi imitatione alij malefactorum contra promeri-

ras pœnas, & necessariam vindictam animarentur.

Dub. 13. Vtrum auctori pauperi reus non pauper expensas litis suppeditare teneatur?

R. *Guido Papa teneri. q. 461. ex l. ul. §. quod si et. C. de ord. cognit. Guidoni adhaeret Aymon Savillianus Consil. 164. sed Boerius Decis. 303.* asserit, se nunquam vidisse in praxi receptam esse prædictam opinionem: quod etiam *Covarr. affirmat l. pract. qq. c. 6.* addens nihilominus eam videri observandam, ubi perpenso statu litis, & causæ constaret, aliqua non levis præsumptio pro iure pauperis auctoris. Nam si quis per bona paterna sibi restitui, agatque querela in officioso testamenti, reus cogitur dare auctori expensas pendente lite tribus concurrentibus.

Primo si constet, auctorem esse filium, vel nepotem testatoris. *Secundo* quod verè pauper sit. *Tertio*, quod habeat primam sententiam pro se latam. l. *si instituta. §. de in officioso. ff. de inoff. testam.* Ita *Covarr.* qui si inde concludat, eodem modo auctori pauperi cullibet à reo d. vite dandas expensas, & alimenta esse à multis reicietur. Quocirca, ne divites contra voluntatem suam graventur, & pauperum ius inopia debilitet, alicubi ex arario publico advocati aluntur, qui pauperum causas tractent. De Roma testatur *Westrivus l. 2. Introduct. in aulam Rom. c. 18. de Gallia Tholosan. l. 49. r. 6. num. 11. de Camera Spirensi Andr. Gaill. l. 1. obs. 43. & Schyvanmannus in Different. iuris Camera- lis Differentia 19.*

Imò

Imò per se tenetur advocatus in magna necessitate patrocinari gratis pauperi iuxta S. Tho. & alior. DD. *decisionem apud Silv. v. advocatus n. 11.*

Dub. 14. An sola rei confessio sufficiat ad condemnationem in criminibus.

R. Non sufficere l. 1. Divus 17. ff. de *question. Divus Severus* rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat. Unde consequitur, si quis fateatur furtum, homicidium, adulterium, aut quodlibet aliud delictum ex hac sola confessione sententiam capitalem ferri non posse. *c. significasti. 5. de adul. & stupro.* Fieri enim potest, ut vel metu tormentorum, quæ severus Iudex comminatur, vel tædio vitæ, vel impatientia tormentorum, vel alia qualibet ex causa fateatur. *l. Non tantum. ff. de appellat. l. 1. ff. de question.* Quamobrem pe-

riculo sæ plenum opus alicuius est sententia condemnatoria, ad quam sola rei confessio Iudicem permovet. *Bald. & Iacobin. in l. qui servum. 20. ff. de interrogat. action. Hippol. in l. 1. §. praterea. ff. ad leg. Cornel. de sicar. ubi ait. Ei, qui se fatetur hominem veneno necasse, credendum non esse, cum verum & falsum esse possit. Et Boerius Decis. 164. cum Ulpiano.* Ei, qui in possessione servitutis constitutus est, etiam invito succurrit: quantum magis igitur subveniendum homini per errorem mentis perire volenti? *v. Farinac. q. 2. num. 13. Mascard. de probat. Conclus. 830. Menoch. Casu 268. Baiard. in Annot. Iul. Clari. q. 55. n. 22. Torreblanca. 3. Demonol. c. 19. n. 28. & Zangerum. Tr. de tortur. c. 5. ubi pluribus explicat, quot, & quæ necessario requirantur, ut homini de se confitenti flagitium fides tribui possit, & sententia condemnatoria pronunciari.*

TITVLVS VII.

De Exceptionibus.

Reum pro tribunali stantem vidimus, interrogationibus, probationibus instrumentis, & questionibus malè pulsarum, equuleo insuper, fideiculis aliisque tormentis exanimatum, usque adeò, ut fractus & deficiens sui ipsius innocentiam miser prodigeret: superest, ut

armis contra adversarium suum, clypeo, & telis muniamus. Ea sunt exceptiones, dilatoriæ aut peremptoriæ, de quibus compendiosè agemus.

* *

p 2

§. 1.